DE
SENEGAE RADICE.

REMEDIO OPHTHALMIATRICO PRAESTANTISSIMO.

SPECIMEN PHARMACOLOGICO-THERAPEUTICUM
QUOD
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
IN
UNIVERSITATE LITERARUM FRIDERICA GUILELMA
AD
IMPETRANDAM DOCENDI
VENIAM
DIE X. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROL. ANGELSTEIN

MED. ET CHIRURG. DR., INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI UNIVERSITATIS MEDICUS, SOCIETATIS MEDICO CHIRURGICAE BEROLINENSIS SODALIS.

OPPONENTIBUS:

V. ANDREIEWSKIY,
GABLER,
HERZBERG } *MED. DOCTOR.*

BEROLINI, TYPIS FERDINANDI NIETACK.

INTRODUCTIO.

Tametsi de medicamento, cujus descriptionem exhibiturus sum, non modo multae monographiae, verum etiam compendia materiae medicae tam prolixe disseruerint, ut repetitio videatur supervacua, neminem tamen, uberrima chemiae et medicinae practicae incrementa, quae novissimis temporibus emerserunt, meditantem latebit, nostri quoque medicaminis novas virtutes, prioribus saltem incognitas, esse indagatas, quibus reputatis persuasum habeo, oleum operamque minime me perditurum, si, quae inde redundarunt, colligere et palam proponere experiar. Quum vero hujusce opusculi cancellos nonnihil oporteat restringi, praemissis quibusdam chemicis et pharmacologicis ad Senegam pertinentibus, id praecipue operam dabo, ut, quantum praesidii dictum remedium, testibus recentioris aevi medicis peritissimiis, in oculorum morbis praestare valeat, exponam, reliquos autem morbos, in quibus salutaris esse consuevit Senegae usus, obiter modo attingam. Brevem hanc monographiam et forma sua et amplitudine discrepare ab ea, quae est novissima, sed ante undecim annos jam edita, nemo lectorum non intelliget; quod vero ad me attinet, novam medicaminis egregii descriptionem multis gratam, nonnullis utilem fore, confido.

I. Pars physiographica.

§. I.

Radix Senegae, s. Senecae, s. Polygalae Virginianae, Americanae, Rattle, snake root Anglis, Indiczk Wirginiansky Polonis, Senegawurzel, Klapperschlangenwurzel, Se-

negaramsel, Germanis, radix est plantae perennis, quae medicis vulgo **Polygala virginiana** dicta, per Linnaeum Polygalae Senegae nomen tulit; qui systema sexuale sequuntur, ad diadelphiam octandriam referunt, qui vero naturale, Polygalearum familiae eam adnumerant. Crescit haec planta, quae vix pedis altitudinem assequitur, per montes nemorosos Americae borealis, in Virginia et Pensylvania. Linnaeus et alii flores describunt imberbes, spicatos, caulem erectum, herbaceum, simplicissimum, folia lato-lanceolata.

§. II.

Radix senegae, pars plantae nostrae officinalis, spithamam saepe longa, calami scriptorii, vel digiti auricularis crassitiem aequans, diversimode contorta et tuberculosa, in ramos est divaricata, qui multis tenuibus fibris fibrillisque terminantur. Ipsi quoque rami sunt tortuosi, vario modo inflexi atque incurvati, rugosi etiam ac tuberculosi, ad utrumque latus margine instructi membranaceo, inaequali, quasi extuberante, seu linea potius eminente, in rami superficie juxta longitudinem decurrente (quo criterio a similibus radicibus facillime discernitur). Tres autem partes variae et perspicue discretae in ipsa radice ejusque fibris grandioribus facili negotio distinguuntur: 1) cuticula scilicet, seu epidermis, cinereo viridis; 2) pars epidermide obducta corticalis, satis crassa, densa, aequalis, subflava, in radicibus crassioribus et fibris majoribus tertiam circiter totius radicis partem adaequans, quintam in fibris tenuioribus atque fibrillis; 3) pars interior, corticali circumdata, substantia lignosa magis, albida, filamenti ad instar per fibras decurrens.

§. III.

Radicis sapor initio farinosus, paulo post dulciusculo acidulus, novissime acer et vellicans, ingratissimam pharyngis irritationem producit, quae satis diuturna et cum inimicissimo in faucibus, oesophago et trachea sensu conjuncta est, simillimo ei, qui innasci solet deglutitionis et respirationis organis, tussi vehementissima, eaque sicca, diutius vexatis atque exasperatis. Ille quidem sapor proprius est substantiae corticali, utpote radicis parti efficaci, etenim pars interior, lignosa, exiguum tantum saporem movet. Totus fere cortex ille succo vegetabili inspissato et condensato videtur compositus, quippe qui teste Pfaffio spiritu vini rectificatissimo et aqua totus extrahatur et solvatur, relicta tantum cuticula et exili substantiae cellulosae portione. Odor radicis tenuis quidem, sed singularis, subnauseosus, contusione et coctione manifestior redditur,

ut nonnullorum sensui ad olei olivarum odorem quam proxime accedere videatur; idem deficit radices per longius tempus asservatas.

§. IV.

Accuratiorem hujus radicis notitiam Tennantio debemus, Scoto, qui plures per annos in Virginia moratus, ab Americanis eam et interne (in pulvere et decocto lacteo) et externe (praemissa vulneris exsuctione, in cataplasmate cum lacte parato) adhiberi comperit, tam ad cavendum, quam tollendum morbum, qui crotali horridi morsum sequitur, et, si fides habenda est Tennantii dictis, pneumoniam cum febre nervosa junctam aemulatur. Deinde Dr. Krieg, Germanus, plantam, quae radicem nostram largitur, e Marilandia ad Europam transtulit eamque describendi copiam fecit. Tennant, quum anno 1735, in commentatione de pleuritide, senegae mentionem jam fecisset, anno 1742 singulare edidit opusculum, formam referens epistolae, ad celeberr. Meadium datae, qua vires senegae medicatas contra pneumoniam et pleuritidem summis extollit laudibus. Excitata medicorum attentione remedioque nostro saepius in usum vocato, complures edebantur scriptiunculae, quae et chemicam ejus indolem et virtutes medicas illustrare conabantur [1]).

II. Pars chemica.

§. V.

Sunt, qui certo certius constare dicant, chemiae organicae cognitionem, quae hucusque nobis contigerit, adeo mancam esse et exilem, ut vires medicae quarundam materiarum vix mediocri cum probabilitate possint erui; chemicos porro efficacissimis reagentibus decomponere materias indeque obtinere producta, quae minime corpori de-

1) Tennant Physical disquisitions. P. II. Lond. 1735.
Ders. Epistle to Richard Mead, concerning the efficacity of the Seneka. Edinb. 1742.
Linnaeus Dissertatio de Senega. Upsaliae 1749. recusa in amoenitat. academic. Vol. II. Tab. 2.
Siemerling, praeside I. Ch. Detharding, Dissertat. de rad. Senegae. Rostock 1749.
Burkhard, de rad. Senegae. Argentor. 1750.
Keilhorn, Dissert. de rad. Senegae et Salab. Francof. 1765.
Lentin, Observ. medicor. Fasc. II. Cellis 1776.
Hellmuth, I. G., Dissertat. de rad. Seneg. Erlang. 1782.
Thoss, C. G. Dissertat. de radice senegae. Lips. 1820.

composito insint, sed conflictu demum partium constituentium corporis decomponendi et decomponentis gignantur; veram igitur mixtionis rationem decompositione in officinis chemicis instituta neutiquam explorari, quibus fiat, ut de effectu materiae examinatae in corpus humanum nihil certi possit concludi. Habeant sibi, dummodo has dubitationes ad illud tempus transferant, quo Burkhard, Keilhorn et alii libros infra laudatos ediderunt; nostro aevo judicium illud temerarium videri, fatebimur; area enim chemiae amplissima in dies magis prorogatur, singulae ejus partes penitius eruuntur, analyses summum perfectionis gradum obtinuerunt, imo ad evidentiam mathematicam sunt evectae. Tantum ergo abest, ut medicina chemiam vilipendat, ceu disciplinam accessoriam, quae in tractandis retortis et crucibulis modo versetur numerumque hypothesium in physiologia et pathologia adaugeat, ut potius ea, quae e chemicis analysibus et experimentis redundarunt, majori quam olim attentione dignari coeperit. Nonne enim chemia est pathologica, quae morbos pertinacississimos sanandi viam patefecit (exemplo sit diabetes et dispositio ad lithiasin)? nonne medicina practica ex brevi inde tempore plura impetravit praeparata egregia, quibus morbi diversissimi multo facilius et tutius, quam antea, debellantur? Proinde non alienum videtur a nostra re, varias radicis Senegae analyses et quae ex iis prodierunt, breviter exponere, quo facilius dirimere possis, cui radicis parti vis medicata debeatur, quanam ratione medicamentum commodissime exhibeatur et detrimenta, quae ab una alterave parte constituente, ab hac vel illa remedii forma proficisci possint, optime vitentur. Primam radicis Senegae analysis Burkhard et Keilhorn instituerunt, quos secuti sunt Gehlen, Peschier, Folchi, Feneuille et Dulong.

Gehlenus [2]) in radicis Senegae unciis quatuor totidemque Scrupulis (gr. 2000.), analysi submissis, haec invenit:

Materiae resinoso unguinosae	150	Gran.
Substantiae extractiv. rodent. *)	123	-
- - - - dulcis, cui adhaerebat parca substantiae rodent. portio	537	-
Mucilaginis vegetabilis et substant. albuminosae	190	-
Residui non solubilis	920	-
	1920	-

2) Berliner Jahrbüch. für die Pharmacie 1804.

*) Substantia haec saponaceo vegetabilis, sapore senegae proprio, primum subdulci, paulo post

Alteram analysin, quam propositurus sum, Peschier [3]) exhibuit, principium in Senega se inventurum esse opinans, quod vehiculum sistat cardinale effectuum hujus radicis propriorum. Analysis ab eo instituta (ad quam usus est Unciis quatuor) has radicis nostrae substantias suppeditavit:

1) duo principia resinosa variorum graduum variaeque solubilitatis. Gr. 132;
2) principium volatile speciei resinosae, odoris atque saporis saponacei, quod magna virium medicatarum hujus radicis parte pollere videbatur, quamobrem Peschiero dicitur Polygalinum. Gr. 100;
3) Principium aqua et alcohole solubile, quod Peschier Isolysinum vocat (ab ἴσος aequalis et λύω solvo). Gr. 260.
4) Materiam gummosam;
5) Pigmentum flavidum, quod non segregabatur;
6) Inulinum;
7) Principium alcalinum singulare;
8) Acidum novum: acid. polygalicum Pesch. dictum;
9) Calcaream phosphoricam;
10) Ferrum polygalicum;
11) Fibras lignosas, quae incineratae terrae aluminis gran. 6. reliquerunt.

Ex analysi praeterea haec apparuerunt: a) longiori opus esse coctione, ad solvenda radicis principia activa; b) largam inesse portionem materiarum, aqua et alcohole maximam partem solubilium; c) per effectus, quos principia gummosa et resinosa in se invicem exserunt, si idoneis submittuntur conditionibus, magnam resinosorum partem in solutione aquosa solutam inveniri; d) acidum polygalicum in senegae radice cum kali et ferro oxydato conjunctum esse.

Quae Folchi, Feneuille et Dulong institutis analysibus eruerunt, ab antecedentibus differunt:

Folchi [4]).

1) Oleum pingue, ex parte liquidum;

---

ingrato, rodente praedita, alcohole et aqua non solubilis, cinereo albida et (nondum siccata) quasi turgescens, eadem prorsus attributa obtulit, quae substanstiae vegetabilium acri, rodenti, in genere propria atque peculiaria esse solent.

3) Buchners Repertor. für die Pharmacie 9 Bd. 1821. S. 171.

4) Annali universali di Milano 1823.

2) Acidum Gallarum;

3) Substantiam acrem;

4) Pigmentum flavum;

5) Aliquantulum cerae;

6) Extractum gummosum;

7) Principium azotico impraegnatum, glutini simile;

8) Fibram lignosam;

9) Acidum carbonicum, sales sulphuricos et muriaticos, calcem phosphoricam, magnesiam carbonicam, ferrum, terram siliceam.

Feneuille [5]).

1) Oleum volatile et oleum pingue;

2) Principium amarum;

3) Pigmentum resinosum pallido flavum;

4) Gummi;

5) Acidum pecticum;

6) Albumen.

Dulong.

1) Substantiam peculiarem non alcalinam, acerrimam, aqua et spiritu vini aquosa solubilem, quae vires radicis medicatas complecti videtur;

2) Resinam;

3) Substantiam ceream;

4) Gummi;

5) Pigmentum flavum;

6) Acidum pecticum.

§. VI.

Ex analysibus propositis hoc certe patet, pro senegae parte principe et efficacissima illam esse habendam, quam Gehlen saponinum, Pfaff principium extractivum vellicans, Gmelin et Peschier seneginum, seu polygalinum, Feneuille principium amarum, Dulong substantiam acrem non alcalinam, dicunt. Partim vero haec principia non semper impetrata esse videntur, partim eorum descrip-

5) Journal de Chemie medicale. Septbr. 1826.

tiones adeo sunt mancae, ut de proportionibus mutuis nihil certi dirimere queas. Attributa principii illius activi, variis nominibus donati, ab auctoribus hac fere ratione accuratius exponuntur.

Principium amarum (Feneuille).

Color. flavescens.

Sapor. mere amarus.

Ratio ad aërem. Non crystallisat, humida attrahit ex aëre.

Ratio ad aquam et spiritum vini. Omnibus proportionibus solvitur aqua et vini spiritu.

Ratio ad reagentia. Solutio aquosa infuso gallarum, plumbo acetico basico, hydrargyro muriat. corrosivo, hydrargyro nitrico, ferro sulphurico oxydato (ab hoc quidem viridi calore) praecipitatur.

Ratio ad ignem. In vasis obturatis calefactum perinde se habet ac substantiae vegetabiles, azotico destitutae.

Seneginum. (Gmelin)

Color. cinereo albus.

Sapor. irritatio inimicissima faucium, sternutatio, si teritur.

Ratio ad aërem. materia turgida, quae siccando fusca, pellucida et dura evadit.

Ratio ad aquam et spiritum vini. Spiritu vini aquoso solvitur et tincturam roccellae rubefacit; aqua, aethere, oleis aethereis et pinguibus non solvitur.

Ratio ad reagentia. Cum natri lixivio solutionem exhibet claram, fulvam, cum acido nitrico solutionem turbidam, quae calefacta pelluciditatem obtinet, partim autem in gelatinam coagulat.

Ratio ad ignem. Ad ignem accenditur et odorem specificum spargens senegae, nec non tartari combusti, carbonem spongiosum relinquit.

Polygalinum. (Peschier.)

Color. Statu humido sulphureus, sicco fuscus.

Sapor. acer et amarus, ita ut saponaceus odor saporque luculenter distinguantur.

Ratio ad aërem. splendorem edit laetum, resinosum admodum est friabile.

Ratio ad aquam et spiritum vini. aqua calida et frigida dilutum, fingit laticem turbidum, qui etiam filtratus turbidus apparet.

Substantia acris. (Folchi) [6]).

Color. Lamellae stramineo-flavidae splendentes.

Sapor. Initio nullus, postea acer, ardorem excitans.

Ratio ad spiritum vini et aquam. Nihil solvitur aqua destillata, parum alcohole frigido, facile autem alcoh. fervido.

Ratio ad reagentia. Lixivio caustico aliquantum subigitur, plus autem liquore ammon. caustici.

Judice Folchi substantia acris in fibras ventriculi effectuque secundario in finitima pectoris organa agit, et remedii resolventis dignitatem obtinet in phlegmasiis chronicis tunicae pituitariae pulmonum, quod fieri putat mediantibus nervis, vasis lymphaticis et sanguiferis, tanta quidem cum celeritate, ut hunc effectum specificum dicat.

Pfaff seneginum idem fere putat ac saponinum, principii extractivi vellicantis nomine donatum, ita tamen, ut senegino indolem paulo magis resinosam largiatur. Saponinum Peschieri per attributa saponacea evidentissima congruere omnino videtur cum saponino, quod in Senegae radice occurrere, Bucholz suspicatur; ceteroquin hoc saponinum in cortice radicis saponariae officinalis, in radice Polypodii vulgaris et Jalappae, in Gypsophila Struthii et affinibus speciebus exstat; uberrimum in putamine fructuum sapindi, inprimis sapindi saponariae, s. laurifolii et rigidi (quibus Indi ad lavandum utuntur) deprehenditur et extractione ope alcoholis obtinetur. Fuscum est saponinum, pellucidum, durum, fragile, sapore praeditum specifico, linguam rodente, in faucibus diuturnam vellicationem movente. Solutio aquosa cum oxydo ferri muriat. neutro praecipitatum reddit viride, tincturam roccellae rubefacit, alcohole solvitur aquoso, non absoluto, aethere, oleisve aethereis (Bucholz.) Haec nobis persuadent, saponinum plura continere attributorum supra dictorum, senegino propriorum, quibus Pfaffii sententia omnino confirmatur.

---

6) Giornale arcadico di Roma. 1830. — Revue medic. Juin. 1830.

§. VII.

Senega ad plantarum familiam pertinet, quarum radices, quatenus attributa nobis innotuerunt, partes constituentes diversissime agentes complectuntur. Etenim praeter seneginum supra memoratum (seu principium extractivum acre et vellicans) in hac radice inveniuntur: 1) Principium amarum in Polygala amara, amarella, austriaca, decipiente, uliginosa et rubella. Hocce principium in Soulamea amara quam maxime evolutum eique Senegae, teste Blume, simillimum exstat. Radix etiam Polygalae sanguineae, quod vires medicatas attinet, cum Senegae radice conspirare dicitur et Polygala thesioides a Chili incolis in iis adhibetur morbis, qui Senegae usum exigunt. 2) Principium emeticum in radicibus Polygalae Paayae, monticolae, formosae, scopariae et glandulosae (Ipecacuanhae nigrae Chinensis.) 3) Principium narcoticum in Polygala venenosa J. 4) Principium aromaticum in Polygala theezante et chamaebuxo. 5) Principium extractivum scytodephicum in specie Krameria. 6) Pigmentum in Polygala bracteolata F. (tinctoria Vahl.)

§. VIII.

Quae si consideraveris, primo obtuitu vix scriptorum sententiae adstipulaberis, plantarum quarundam, habitu externo ad eandem familiam pertinentium, partes constituentes proximas aliquid habere commune, vix ullum principium agnosces certum, quod toti Polygalearum familiae singularem indolem et specificam efficaciam impertiat. Nihilominus ratiocinari placet, principium acre, quemadmodum generatim cum aliis principiis, ut volatili incitante, aromatico, mucilagineo, ergo involvente, narcotico, conjunctum occurrit, notam peculiarem familiae plantarum supra descriptae constituere. Veruntamen hoc ratiocinium tam continuatis observationibus circa harum plantarum effectus, nondum ad evidentiam diremtos, quam specifica organi gustatorii affectione confirmari, necesse est. Chemica enim analysis, cujus dignitati ceterum nihil detrectamus, hancce rem minus dirimere potest [7]), quoniam Acria, quandam effectus analogiam offerentia, si decomponuntur, haud raro diversam indolem chemicam manifestant.

---

7) Abhandlung über die Arzneikräfte der Pflanzen, verglichen mit ihrer Structur und ihren chem. Bestandtheilen; vom Professor Dr. J N. Dierbach. Lemgo 1831.

III. Pars therapeutica.

§. IX.

Inter varios fontes, e quibus medicamentorum cognitio petitur, efficacia eorum in organismum humanum integrum certe non infimum tenet locum. Hellmont, Fallopius, Conrad, Gesner, Alexander Stark, v. Störk et recentiori aevo Hahnemann ejusque sectatores, hanc praecipue viam sunt ingressi, ad colendam amplissimam, sed minus adhuc exaratam materiae medicae aream. Alienum ab hoc loco videtur, de horum experimentorum dignitate admodum relativa et de evidentia ratiociniorum disserere, juxta quae ex efficacia remedii alicujus in corpus sanum de ejus utilitate in certo morborum genere aliquid concludere possis; primum enim ipsa pericula adhuc sunt manca; deinde multum interest, ut rite pensitetur tempus, quo adhibetur remedium et qua forma, valetudo experimentatoris per varias periodos, quibus medicinam haurit, idiosyncrasiae ejus, remedii dosis etc. Diffitendum autem non est, hanc quoque viam, praeter alias, scientiae nostrae plurimum lucri afferre posse. Ad complendam igitur hancce monographiam sufficiat, brevibus verbis enarrare experimenta, in sanis hominibus eo consilio instituta, ut vires medicatae radicis Senegae eruerentur.

§. X.

Sundelin [8]) alternis horis scrupulum unum hujus radicis pulveratae hausit et per sex horas experimentum continuavit. Inter deglutitionem sensit vellicationem illam inimicissimam in linguae parte posteriori ac faucibus, cum salivae confluxu junctam; non multo post ardorem ventriculi ingentem animadvertit, qui, tertia dosi assumta, in vomituritiones et vomitum difficilem abiit, quo multum muci aquosi, parum pulveris ingesti eructabatur; cutis calorem concipiens, humescere coeperat. In ventre tormina graviora orta sunt, non prius desinentia, quam excrementa aquosa aliquoties secessissent. Urinae secretio augebatur, et levis ardor mictum comitabatur. Postero etiam die oppressio quaedam ingrata ventriculi et anorexia supererant. Hisce symptomatibus ea sunt similia, quae Stapf [9]) describit. Magnum symptomatum numerum (407), tam in

---

8) Handbuch der speciellen Heilmittellehre. 1. Aufl. 1. Bd. S. 122.

9) Practische Mittheilungen der correspondirenden Gesellschaft der homöopathischen Aerzte. Jahrg. 1827. S. 76. 77.

aegrotantibus a medicis celeberrimis, ut Jahn, Richter, Horn, Arnemann, Hecker, Gesenius, Moench, Loesecke et aliis, quam in sanis hominibus, qui experimenti causa Senegae tincturam aut pulverem hauserunt, a recentioribus medicis observatorum, collegit Dr. Seidel [10]). Ab hoc enim symptomata enumerantur quinquaginta duo, quae ad oculum, quinquaginta unum, quae ad fauces, centum atque septem, quae ad respirationis organa, inprimis ad pectus, viginti quatuor, quae ad urinae secretionem spectant. Symptomata gravissima ab omnibus medicis observata, haec fere videntur: capitis gravitas et temulentia, pressio et pulsatio in regione frontali, pressionis inimicae sensus in orbitis, praesertim si inclinatur corpus, titillatio et ardor palpebrarum, muci secretio levisque oculorum lacrymatio, visus hebetudo inter legendum, dolor obtusus auris dextrae, siccitas narium, lingua albo-pallida, ardor palati, ariditas oris cum muci tenacis colluvie in faucibus, aucta salivae secretio, faucium ardor et vellicatio, exspuendi incitamentum, sapor oris fatuus, sitis intensior, ructus, anorexia, cardialgia, fastidium, nausea, vomitus, diarrhoea, borborygmi, tormina, flatuum explosiones, diuresis adaucta, urina turbida, filamentis pituitosis intermixta, ardor inter mingendum, sternutatio, tussis sicca, sanguinis orgasmus et pectoris oppressio, praesertim inter quietem, dolor pectoris premens, dolores per thoracem vagantes, ictus per eum fugaces, ardoris sensus sub sterno, dolor tendens atque premens juxta basin scapulae sinistrae, articulorum dolores, languor, dedolatio, somnus irrequietus, motus febriles, pulsus durus, acceleratus, angor, animi intemperies hypochondriaca. Ceteroquin hoc remedium majorem in corpora laxa et succulenta efficaciam exserit, quam in rigida et macilenta.

§. XI.

Non prius, quam Gehlenus analysin instituerat, auctores Senegae radicem ad acria remedia retulisse videntur; antea enim resolventibus et evacuantibus adnumerari consueverat. Acrium remediorum indoles dynamica generatim singulari eorum efficacia in plasticitatem nititur: afficiunt enim vasorum et nervorum inferiorum ramificationes, sensibilitatem atque secretiones alterant, qui vero effectus secundum individuam singulorum remediorum naturam diversissima ratione sese promunt. Quodsi eorum usus justo diutius continuatur, propria in corpore cachexia evolvitur, quae praevalente liquescentia, immodicis secretionibus, substantiarum opportunitate, sese decomponendi, ergo appeten-

---

10) Archiv für die homöopathische Heilkunst. Bd. 9. Heft 2. S. 191.

tiae diminutione, digestione infirma, disturbata, sanguinis indole magis serosa, partium flacciditate, pulsu parvo, molli etc. insignitur. Universim acria remedia iis medentur morbis, in quibus secretionum ot excretionum anomaliae, resorptio labefacta aut sublata, opportunitas ad materiarum abnormium formationes et vitiosa humorum mixtio observantur.

Propter uberrimum Senegini (principii extractivi vellicantis) portionem Polygalae Senegae radici speciatim efficacia promptissima in plexus nervorum organicorum et in partes cum iis commercium alentes adscribitur. Vim specificam quasi exserere dicitur in respirationis instrumenta, vasorum absorbentium actionem augere vasisque capillaribus stimulum potentissimum injicere, ad resolvendas sanguinis stagnationes (in asthenicis inflammationibus). Jahn [11]) remediis incitantibus resolventibus eam interponit, gravius irritamentum exhibere dicit, quam Saponariae et Inulae radicem, levius, minus diffusibile, magis permanens, quam Arnicam, blandius, minus penetrans et volatile, quam Serpentariam. De Ammon, qui recentiori tempore vindex acerrimus nostri remedii in oculorum morbis exstitit, sibi fere persuasum esse dixit, Senegae efficaciam cerni in deprimenda vi vitali exaltata vasorum capillarium, vel nervorum, et in cohibenda vegetatione exorbitante, emendata scilicet sanguinis mixtione, ad inflammationem opportuna. Sententiam suam eo fulciri putat, quod, si processus morbosus secretorius in vasis capillaribus desierit, vasorum lymphaticorum, forsan etiam venarum, actio normalis sufficiat, ad secretum morbosum, sive lympha sit, sive pus, in humorum circuitum revehendum. Ad explicandam Senegae agendi rationem, opus non esse, ut vasorum resorbentium actionem singulatim ea augeri statuamus, vel accelerari, etenim in hydrope effectus ejus esse exiguos, seque observasse, dissolutionem cataractae humore aqueo maceratae et comminutae, senega data haud maturari. Chelius admodum Senegae vim resorbentem defendit [12]) et v. Ammon, serioribus edoctus observationibus, priorem opinionem dimisit. Effectum ejus specificum in pulmones a pluribus auctoribus defensum (quem, si phaenomena intueraris, quae in sanis corporibus producit, aliquatenus vindicare poteris.) v. Ammon diffitetur, quum vires resolventes et humorum stagnationes in pectore discutiendi facultatem ei largiatur.

---

11) Practische Materia medic. Erfurt 1818. Bd. II. pag. 518.

12) Heidelberger Jahrbücher, II. Bd, 2. Heft. 1826.

§. XII.

Vulgo radice Senegae utimur tanquam remedio volatili et penetrante, resolvente, expectorante, diaphoretico atque diuretico. Teste Jahn optime prodest, ubi pulsus parvus et mollis, cutis sicca, vel sudore viscido, frigido obtecta, pallida, respiratio exilis, aut non nimis cohibita, tussis humida, lingua non nimis arida, prostant; tubus intestinalis saburris vacuus sit necesse est. Prae ceteris Senegae radix salutarem sese praestat: 1) In stadio secretorio inflammationum, sive secretum offerat pus, sive lympham, sive ichorem; 2) In stadio ulcerationis.

Exempla, in quibus hucusque Senegae radix cum fructu exhibita est, omnia fere pertinent ad morbos tunicarum serosarum, mucosarum atque telae cellulosae, quarum functiones praegressa inflammatione, vel acuta vel chronica, erant disturbatae, indeque secretiones alienatae, aut praeter modum adauctae prodierant. Numerari huc solent catarrhus chronicus, s. inveteratus, phthisis pituitosa, asthma humidum, pneumoniae in stadio critico, si sputa haesitent et tenacia sint, pneumoniae, quae vocantur, passivae in stadio ultimo, si malum acutum in chronicum abire minetur, aut si vasa capillaria inflammati parenchymatis pulmonum admodum vasculosi, vel ejus tunicae et telae cellulosae, lymphae coagulabilis exsudationes effecerint; porro bronchiorum morbi inflammatorii, ut bronchitis, tracheitis, laryngitis, si prima inflammationis symptomata praeterierint et lymphaticae exsudationes persistant. Exhiberi etiam Senega consuevit in nonnullis hydropibus, praesertim iis, qui febres sequuntur; ulceribus, nominatim pedum, humorum dyscrasia natis, denique in metastasibus, quae non raro inter aut post morbillos, scarlatinam etc. ad pectus naresque oriuntur et plerumque secretioni adauctae tunicarum serosarum vel mucosarum, illas cavitates investientium, affectioni inflammatoriae aut subinflammatoriae obnoxiarum, nituntur.

Quae omnia medicorum peritissimorum de Senegae usu effatis confirmantur.

A. Morbi respirationis organorum.

a) Jahn (Mater med. Bd. II. P. 494).

Raimann (s. dess. Handbuch d. spec. Therapie. Wien 1816. Th. 1. S. 976.)

Stark (Handbuch zur Kenntnifs und Heilung innerer Krankheiten. Jena 1799. Bd. 1. S. 181.

Vogel (Handbuch der pract. Arzneiwissenschaft. Stendal. 1820. Th. 4. S. 243.

Senegam laudant in serioribus anginae membranaceae stadiis, Thoss (Dissertat. p. 34). praecipue in laryngitide catarrhali et pituitosa, quae autumno haud raro epidemica grassatur, quo in morbo cum fructu eam adhibuit.

Maerker (Hufelands Journal 19 Bd. 3 Stck. S. 128.) partim ad promovendam muci secretionem profusam, atonia inductam, cohibendam (in hoc quidem casu adjungenda sunt remedia tonica leviora, v. c. marrubium album) eam commendat.

b) In febribus catarrhalibus epidemicis (Influenza dictis,) Klees (Hufelands Journal 16. Bd. 4 Stck. S. 86.) magnam infirmitatem cum praevalentibus topicis affectionibus pectoris Senegae usu feliciter debellatam vidit. Gautieri (Ebendas.) in hoc morbo praecipue Senega tum utitur, cum catarrhi suffocativi symptomata appareant, (cf. etiam Hufelands Journal 10 Bd. 1 Stck. S. 127.)

c) In febribus nervosis epidemicis ab Hufelandio commendatur, si pectus simul affectum, si cutis et renum secretio sit suppressa (Dessen Journal 7 Bd. 1 Stck. S. 122. 150. 204. 216. 217.); huic assentitur Wiedemann (Ebendas. 26 Bd. 2 Stck. S. 178); Jahn (L. c. N. 520.) aegrotos reddidit incolumes, qui febre nervosa aut putrida cum affectionibus inflammatoriis localibus laborabant.

d) In pneumoniis; Hufeland et Albers (Journal der pract. Heilkunde 9 Bd. 3 Stck. S. 104. u. 27 Bd. 1 Stck. N. 122.) Senegam egregie mederi dicunt pneumonitidi dolorificae, si sublata sit diathesis inflammatoria. Bang (Med. Prax. Kopenhagen 1806. S. 273.), Schulze (Allgem. med. Annalen 1822. April. S. 565.), Schmalz (Hufelands Journal 11 Bd. 4 Stck. S. 152.), Vogel (Handbuch 4 Th. S. 243.) superato stadio inflammatorio utuntur Senega, ad promovendam expectorationem et vires erigendas. Raimann (L. c. Bd. I. P. 976.) eam respondere tradit pneumoniis cum indole nervosa. Thoſs (L. c. pag. 31.), secutus Lentinum, (Observ. medic. Fasc. II. Cellis 1770.) Thilenium et Jahnium (L. c. p. 519.), Senegam prae ceteris in ea pneumoniae asthenicae specie utilem praedicat, „qua typhus torpidus cum insigni pulmonum, qui a primordio morbi vere inflammati erant, torpore et hebetudine adest. Haec pneumoniae asthenicae species vel primaria est, praesertim in senioribus et laxioris et obesioris constitutionis hominibus, vel secundaria, i. e. ex pneumonia hypersthenica, vel nervosa versatili, neglecta idonea curandi ratione, exorta." De Senegae administratione in pneumonia praeterea disseruerunt:

Kortum (Hufelands Journal 15 Bd. 4 Stck, S. 135.)

Horn (Erkenntniſs u. Heilung der Pneumonie. Frkfrt. 1802.)

Selle (Medic. clinic. Berlin 1786.)

Stark (L. c. 1 Bd. S. 181.)

Hecker (Kunst die Krankheiten des Menschen zu heilen. Erfurt 1005. 1 Bd. S. 389.)

e) Quod ad phthisin pulmonalem attinet,

Bang (L. c. S. 96.)

Tode (Allgem. Heilkunde 2 Bd. Kopenhagen 1799. S. 91.

Hecker (L. c. Bd. 2. S. 365.) Senegam praebuerunt in ea tussi diuturna, quae phthisin timeri juberet;

Haase (Erkenntniſs u. Kur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1818. Bd. 3. Abth. 1. S. 43.) in phthisi pituitosa cum torpore;

Thilenius (Staats - Handbuch 2 Bd. S. 295.) generatim in phthisi pituitosa.

f) In asthmate humido, inprimis vetularum,

Jahn (L. c. S. 524.) celebrat Senegam, cui sentiae Thoss (L. c. S. 33.)

Wolff (Hufelands 18 Bd. 1 Stck. S. 80.)

Stark (L. c. 2 Bd. 289. S.) et

Haase (L. c. 2 Bd. S. 72 — 74) adstipulantur.

g) In tussi convulsiva; teste Raimanno (L. c. 2 Bd. S. 469.) praesertim in stadio prodest secundo, quo muci tenacis largior secretio exstat, id quod Wolff (Hufelands Journal 4 Bd. 3 Stck. S. 644). Haase (L. c. 2 Bd. S. 280.) et alii confirmant.

B. Hydropes. Auctores supra laudati Senegam et in eo hydrope, qui febrem est secutus, et in chronico, qui vasorum absorbentium torpore nititur, commendant eamque tam primariis quam secundariis remediis interponendam censent, ut Raimann (L. c. 2 Bd. S. 51. u. 226 u. 29.) Jahn (Neues System der Kinderkrankheiten Rudolstadt 1807.), Stark (L. c. 1 Bd. S. 563.) Selle (L. c. S. 293.) Vogel (L. c. 3 Bd. S. 284. Haase (L. c. S. 405. 481.) Ficker (Hufelands Journal 13 Bd. 4 Stck. S. 153.) Millmann (Animadvers. de natur. hydrop. S. 119.), Oberteuffer, (Hufelands Journal 5 Bd. 3 Stck. S. 620. 32. 35.) Hecker (L. c. 2 Bd. S. 692. 700); Carus in hydrometra laudat Senegam; teste Westig (Königl, Schwed. Abhandlung. Leipzig 1792. 11 Bd. in hydrope pericardii plurimum levaminis affert.

C. Exanthemata acuta.

Harles (Hufelands Journal 12. Bd. 1. St. S. 153.) Polygalam Senegam accenset remediis diaphoreticis incitamentum volatile exserentibus, eamque serioribus scarlatinae stadiis subvenire dicit. Withering (Samml. auserles. Abhandlungen für pract. Aerzte. 5. Bd. 2. St. S. 305.) Senegam, si largam excitaret diuresin, anginae faucium in febri scarlatinosa bene mederi comperit. Stark et Hufeland (Dess. Journal 16. Bd. 1. St. S. 177.) eam exhibuerunt in scarlatina, hydropicas affectiones offerente; Jahn (L. c. S. 371 und 438.), in variolis, morbillisque asthenicis, partim ad erigendam corporis energiam, partim ad sublevandas pulmonum affectiones, saepe periculosas. Manning (Neue Entdeckungen in der Arzneikunst. 1. Th. S. 123. Leipzig 1786.) epidemiae morbillosae mentionem facit, in qua symptomata graviora, exanthema repercussum secuta, Senegae ope tollerentur.

D. Varii morbi. Kausch (Jahns mater. med. 2. Bd. S. 528.) pilulas resolventes Sellii, multum senegae continentes, egregium exhibere dicit remedium, ad tollendas sanguinis stagnationes in vasis ventris minoribus, praecipue in systemate venae portarum; Haase (L. c. 3. Bd. 1. Abth. S. 132.) Senegam commendat in mulierum torpidarum fluore albo; Stark (L. c. 1. Bd. S. 594.) in aphthis putridis; Monro (Sammlungen auserles. Abhandlungen 13. Bd. 2. St.) in ea cephalalgiae chronicae specie, cui mulieres frequentissime obnoxiae sunt; in obesitate v. Ammon et Schmalz eam cum Guajaco et Kali tartarico, tanquam medicamentum reproductioni inimicissimum, celebrant (v. Graefes und v. Walthers Journal Bd. 10. Heft 3. S. 437.) Denique Busch (Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtsknnde 2. Bd. 3. Hft. S. 483 — 539. 1828.), crassitiem, seu indurationem peritonaei, febri puerperali inductam, Senegae usu interno, unguenti hydrargr. ciner. externo, penitus resolutam observavit.

Notatu dignum est, multa illorum symptomatum, quae Senegae ex usu hominibus sanis oriri tradit Seidel [13]), cum phaenomenis conspirare, quae in morbis supra

---

13) Im Archiv für die homöopath. Heilkunst. Herausgegeben vom Dr. Stapf. IX. Bd. 2. Hft. Leipzig 1830.

dictis apparent. Senega v. c. conditionem quandam excitat in sanis corporibus, quae stadia seriora anginae membranaceae, vel anginam catarrhalem, serosam, imitatur. Alia, usum ejus secuta, referunt similitudinem symptomatum inflammationis sic dictae pectoris rheumaticae, pleuram magis quam ipsos pulmones obsidentis, qua difficultates minus efficiuntur et augentur respiratione, quam motu, quiete intenduntur, sub dio autem mitescunt. In tussi convulsiva, asthmate, phthisi pulmonali secundum homoeopathicorum sententiam nonnisi quaedam symptomata submovere, in hydropibus autem, morbos febriles secutis, certius auxilium praestare posse videtur; quod acuta attinet exanthemata, Seidel modo salutarem putat Senegam, si in conspectum prodeant symptomata, iis similia, quae pectoris inflammationes lentae, rheumaticae, exhibere solent; praedicat vero eam in catarrhis chronicis, febribus epidemicis catarrhalibus, et nervosis, cum locali pectoris affectione. Denique e symptomatibus in sano corpore observatis ratiocinium ducit, Senegam in nonnullis oculorum morbis, inprimis nervosae indolis, praestantissimum adjuvans exhibere.

§. XIII.

Quibus expositis, gradum faciam ad effectus, quos senegae radix in organum corporis humani exserit nobilissimum, oculum innuo, cujus jactura, si mortem non inferat, laetum vitae usum tamen suspendit, aut quam maxime restringit, quamobrem uniuscusque hominis, inprimis autem medici est, conservationi ejus quam plurimum operae et attentionis impendere. Non possum igitur, quin laudibus extollam merita Doctoris ab Ammon, eo parta, quod senegae radicem in ophthalmiatriam introduxerit. Hujus enim viri praecipue sunt observationes, quas collectas eo consilio apposui, ut magis magisque medicis innotescant eorumque incendant studium, coeptum tramitem quocunque modo applanandi, quod mihi quidem, prout res sinat, semper curae cordique erit. Silentio praeterire nequeo meritissimum Schmalz, qui, resorbentibus Senegae viribus ductus, jam ante peritissimum v. Ammon introductioni hujus plantae in ophthalmiatriam praebuisse videtur ansam, quanquam prius Frid. Wendt, Prof. Erlangensis, dictam radicem in pluribus oculi morbis methodo rationali adhiberet, fortasse Cartheuseri vestigia secutus, qui (in fundamentis materiae medic. edit. nova Tom. I. pag. 576.) contra incipientem cataractam laudavit Senegam.

§. XIV.

Quodsi experientiam consulimus, indubitatum Senegae usum largiemur in omni-

bus tunicarum oculi morbis inflammatoriis, qui in secretionem morbosam abire minitantur, vel in hoc stadium jam abierunt. Hoc enim medicamentum non modo morbosam secretionem cavere, sed exortam cohibere valet. Respondet Senega omnibus ophthalmiis, quae facile chemosis formam recipiunt, in luxuriationem pannosam transeunt, conjunctivae et corneae suppurationes efficiunt, nec non interiores bulbi tunicas ita afficiunt, ut periculosa sequatur suppuratio. Inflammationis autem vigor, ut jam annotavimus, devictus sit necesse est, priusquum administretur, quum morbis ophthalmiarum secundariis, in morbosa secretione positis, aptius respondeat, quam ipsi inflammationi; in dicto autem stadio adhibita, eo certius agit, quo magis turgor inflammatorius jam remisit. In conditionibus propositis v. Ammon generatim Senegam praefert calomelani, siquidem omnibus hujus virtutibus polleat, damniferis autem effectibus careat. Inter virtutes haud dubie vires pertinent resorbentes, facultas, cohaerentiam organicam diminuendi, sanguinis plasticitatem attenuandi et secretiones vel corrigendi, vel mutandi. Utrumque remedium ea consentit re, quod antiphlogisticum verum non est, itaque puris et genuinis inflammationibus non respondet. Nunquam Senega tam violenter inferiora assimilationis organa offendit, quam calomelas, quamobrem, si gravidae hoc utuntur, gravissima damna in foetum redundant; nunquam e Senegae usu metuenda est salivatio, quae, si homines, quorum tubus intestinalis purgantium remediorum impatiens est, calomelas hauriunt, facile pancreati supervenit, malaque gravissima saepe inducit. Denique senega, ceu materia organica, vitae animali propior, nunquam talem processus vegetativi totius mutationem producit, qualem calomelas, quippe quod pseudoproductiones gignere valeat, quibus vita normalis paulatim exstinguitur.

§. XV.

Jam sequuntur oculi morbi singulares, in quibus medici saluberrimos senegae effectus compererunt; sunt nempe morbi secundarii ophthalmiae rheumaticae, rheumatico-catarrhalis, arthriticae, scrofulosae et traumaticae, nec non variarum iritidis specierum et operationum in oculo peractarum. Omnibus his in morbis senega multum utilitatis tum praestitit, cum, licet antiphlogistica methodus exactissime esset administrata, inflammatio in morbosam secretionem transierat; non raro enim periculosas inflammationis sequelas radicitus sustulit, persaepe purgantium graviorum, imo largiorum calomelanis portionum locum explevit, praesertim si calomelas ab aegrotis alienum esset, quippe vel salivatio promtissima sequebatur, vel diathesis scorbutica vigebat. Judice

v. Ammon in administranda Senega parum interest, num secretiones oculi morbosae, vel exsudationes, ophthalmiam traumaticam, utrum specificam exceperint; veruntamen aliis suffragor medicis, qui, remedia intus adhibita semper consentanea esse debere dyscrasiae specificae, si qua exstet, contendant [14]).

a) Pterygium tenue. Mulieri annorum septuaginta trium, dyscrasia psorica laboranti, post levem ophthalmiam catarrhalem ante dies octo in utroque oculo ortum erat hoc pterygium. Quum remedia in his casibus laudata malum adauxissent, decoctum rad. Senegae cum kali tartarico et succo Liquiritiae in usum vocabatur, quod intra quatuordecim dies pterygium depulit. Relicta autem rarefactione triangulari conjunctivae bulbi dextri, Senega in pilulis exhibebatur malique reliquiae collyrio leviter adstringente tollebantur. Verumtamen morbus vetulae cachecticae, circa ignem perpetuo versantis, saepius evasit recidivus et in pterygium crassum abiit, quod operatione submoveri oportebat. Prospera vero curatio mali primitivi abunde Senegae efficaciam testatur. (v. Ammon).

b) Pannus oculi. Schmalz huncce pulverem egregio cum fructu exhibuit: Rec. Radic. Senegae Unc. dim., Kali tartarici Drachm. vj., Magnes. carbon. Dr. ij. M. D. S. Mane et vespere cochlear minus hauriatur. Diaeta imperabatur tenuis.

Haecce formula, si meis observationibus confido, corporibus quoque scrofulosis respondet, inprimis si praeter pannum photophobia ingens et inflammationes oculi periodicae locum habent. Proinde assentiri nequeo Doctori v. Ammon, qui senegam in iis tantum casibus indicatam putat, quibus morbo scrofuloso exsudationes morbosae in cornea, aut camera anteriori ortae sint, in reliquis autem morbis oculi scrofulosis repudiat.

c. Affectiones oculi hydropicae. Puero novem annorum ex neglecta inflammatione traumatica anterioris oculi dextri camerae hydrops natus est. Senega in usum vocata, mox anorexia et diuresis larga apparuerunt, tensio camerae oculi anterioris ingens desiit bulbusque paulo collabi videbatur; non multo post capitis exanthema effloruit, quod cum pueri parentibus ingratissimum esset, causam ejus Senegae imputantes, filium subduxerunt curationi nondum absolutae, quae prosperum pollicebatur eventum. (v. Ammon.)

d) Ophthalmia rheumatico catarrhalis. Hujus generis inflammationes mense Decembri A. 1823 frequentissimae exstiterunt in legione cataphractorum praetoria Regis Saxoniae, quapropter medicus legionarius, Dr. Schrickel, (sublata haud dubie diathesi phlogistica adhibitisque remediis derivantibus debitis) Senegam a Schmalz commendatam in pulvere exhibuit, cum Kali tartar. Magnesia carbon. et saccharo. Ubi dispositio rheumatica inveterata exstitit, antimonialia adjecit et guajacum; Senegam perutilem expertus est.

e) Exsudationes lymphaticae in cornea. Puella scrofulosa, implicita ophthalmiae scrofulosae et blepharophthalmiae, interno barytae muriaticae et externo aquae opii Pharm. Saxon. usu in integrum erat restituta. Elapsis aliquot mensibus, morbus evasit recidivus, puella, ingente la-

---

14) Hüter von der Behandlung der sogenannten aegypt. Augenentzündung in Heidelberger Jahrb. VI. Bd. 2. Heft.

15) Heidelberger Jahrbücher. II. Bd. II. Heft. 1820. S. 238.

borans photophobia, palpebris rubefactis et lymphaticis exsudationibus, tam inter lamellas corneae oculi dextri, quam in facie ejus interiori, medico curanda tradebatur. Calomelane purgandi causa adhibito, infusi Senegae ℥vj cum extracto Liquiritiae propinabantur, quibus bis repetitis, oculi morbus ex toto cessit.

f) Exsudationes lymphaticae, ecchymoses, exsudata sanguinea in et super cornea. Vir octo et triginta annorum, ante quinque hebdomades ophthalmia rheumatico - catarrhali correptus, frustra adhibitis remediis, curationi sese obtulit, palpebris tumefactis, conjunctiva bulbi et palpebrarum rubescente, oculo lucis radiorum impatientissimo. Multa vascula supra corneam decurrentia, exsudationes mediae lymphaticae praegrandes, totam fere pupillam texerunt; media in exsudatione ecchymosis exigua, in parte corneae inferiori exsudatum sanguineum falciforme apparuit, cujus concava pars sursum spectabat; oculus pressioni cuidam obnoxius erat. Jmperabantur haec: Pulv. Senegae, Kali tartar. āā ℥ß, Magnes. carbon. ʒiß Sacchar. alb. ʒiiß; ter per diem cochlear minus cum aqua sumatur; praeterea leve infusum specierum pectoral. pro potu et splenium linteum ad tegendum oculum praecipiebantur. Pulvere illo diuresis admodum augebatur, exsudata aliaque phaenomena morbosa haud mediocriter diminuebantur; quum vero pulveris dosis quaeque nauseam efficeret, pilulae ex pulvere radic. Senegae et extracto Taraxaci imperabantur. Quatuor hebdomadibus a senegae usu elapsis, morbus oculi, excepta obscuratione leucomatosa partis corneae inferioris, evanuit; tincturae thebaicae usus curationem absolvit. (v. Ammon.)

g) Singularis corneae lamellarum destructio cum exsudatis lymphaticis. Mulier caelebs quinquagenaria, cachexiae arthriticae implicita, praegressis palpebrarum inflammationibus (quae rubris pulpebrarum marginibus et ciliorum defectu adhuc cognoscebantur), singulari corneae morbo laboravit, qui multis jam remediis erat impugnata. Corneae enim, splendoris proprii expertes, languidaeque, passim tantum iridem fuscam conspici patiebantur; hic illic separatio lamellarum corneae circularium, quae imbricum ad instar invicem superimpositae videbantur, apparebat. Qua lamellae separatae cernebantur, margines earum inversi erant et sufflati, exsudata lymphatica haud exigua animadvertebantur, corneam ex toto obscurantia; a sclerotica inde ad corneae centrum nonnulla vasa majora discurrebant; oculi omnium injuriarum impatientes erant. Prius tinctura opii crocata salutaris fuerat, nunc autem dolores ingentes excitabat. Proinde haec exhibebantur: Pulveris rad. Senegae ℥ß cum Magnes. carbon. et elaeosacchar. Calam. aromat. āā ʒij; ter per diem cochlear minus hauriatur. Uncia una atque dimidia Senegae consumtis, exsudata lymphatica cesserunt, corneae pelluciditas rediit. (v. Ammon.)

h) Ulcera corneae. Puella duodeviginti annorum, scrofulosi obnoxia, commisso refrigerio levissimo phlyctaenis sat magnis, corneae sinistrae centrum tenentibus, corripiebatur, quae celeriter in ulcuscula abeuntes, maculas pertinaces reliquerunt. Exhibito pulvere ex rad. Senegae ʒjij, rad. Jalappae ʒi, magnes. carbon. ʒji cum Sacchar. ℥ß, brevi tempore morbus cessit, nec tam saepe recidivus evasit, quam antea. (v. Ammon.)

i) Inflammatio conjunctivae bulbi, parenchymatis corneae et iridis, in sesecretionem morbosam et ulcerationem conversa. Mulier duorum et quadraginta annorum, juniori aetate pluries syphilide infecta et nunquam radicitus sanata, quae annis provectior ozaenae syphiliticae causa multum hydrargyri muriat. corrosivi hauserat, atque morbo arthritico gravi eatenus erat

liberata, ut modo sub menstruationis periodum molimina arthritica blandiora apparerent, inflammatione rheumatico-catarrhali oculi sinistro afficiebatur, qua post aliquot dies, quum auxilium peteretur a medico, ictus vehementes, dolorificentissimi, ex interiori ordientes oculo, per totum dimidium capitis dextrum diffundebantur et suspicionem confirmare videbantur, tam iridem, quam corpus ciliare jamjam esse correpta. Dolorum acerbitas, febris, pulsus durus et alvi obstructio, sanguinis detractionem universalem et localem, mixturam salinam, Calomelas cum extracto Hyoscyami et fomenta frigida administrari iusserunt. In fomentationum locum post quatuor et viginti horas sacculi herbacei substituebantur, et mox calomelanis usus suspendebatur, quoniam grana quatuor induxerant salivationem. Valetudine post aliquot dies paulo laetiori, ulcuscula corneae et puris collectiones insignes inter ejus lamellas apparuerunt, ut iridis conditio non amplius posset dijudicari; circa corneam fasciculi vasorum permagni exstiterunt. Ad coercendam ulcerationem conjunctivae bulbi, parenchymatis corneae et haud dubie quoque iridis, omnemque secretionem morbosam quam promtissime cohibendam, (quum calomelas non amplius posset exhiberi, mixtura autem salina et collyrium blandum cum mercurio sublimato non satis celeriter resorptionem intendant.), opportunissima visa est Senegae radix, cujus quotidie grana 45, cum saponis aliquanto in pilularum formam redacta, in duas distribuebantur doses et propinabantur. Jam tertio die valetudo laetior affulgebat et consumtis Senegae unciis duabus et aliquot drachmis, cornea, excepta turbiditate centrali leviori, integra apparuit, turbiditas dicta zinci sulphurici solutione tenui debellabatur. Interpositis nonnullis hebdomadibus, rediit mulier, ut sinistro subveniretur oculo, eidem obnoxio inflammationi, quam dexter sustinuerat. Iris et corpus ciliare non minus correpta erant et exsudatio instans multum periculi minitabatur oculo. Insimul menstruatio profusa et tussis dolorifica aderant, veruntamen hoc etiam in casu omnibus medendi indicationibus respondebat Senega, cujus ʒjii cum Ammonii muriat. ʒji et extr. Liquirit. q. s. in pilulas redigebantur; infusum specierum pectoral. adjiciebatur; oculus linteo tepefacto obtegebatur. Haustis Senegae Drachm. vi, morbus erat exstinctus. Quum post trimestre idem morbus in oculo dextro iterum esset erupturus, Senega cum Gummi Guajaci et extract. aconiti primordia ejus compescuit aegrotaque ita convaluit, ut postea inimicis lithanthracum vaporibus impune se submittere posset. (v. Ammon.)

k) Hypopyon. Dr. Hellmuth (Dissertat. de radice Senegae Erlang 1792.) [16]) in instituto clinico Erlangensi, dirigente Frid. Wendtio, bis cataractam purulentam (quo nomine tunc temporis hypopyon significare solebant) praecipue usu radicis Senegae resolutam se vidisse, tradit. Anno 1784. J. H. Pfeiffer (Dissertat. de hypopyo, sine curatione chirurgica sanato; praes. Wendtio) de Polygala, contra hunc oculi morbum efficaci, disseruit. Deinde Wendt [17]) nullus fere, inquit, annus praeteriit, quo talis aegrotus non restitueretur. Pessima erant hypopya, variolas, vulnera, plagas, ictus et cataractae operationes secuta, neque minus neonatorum, si palpebrae oedematibus diu fuerunt clausae. Puris resorptio sperari tantum potest, si oculi interioris inflammatio, quae plerumqne in tunica choroidea nidulatur, jam sublata et photophobia eatenus diminuta est, ut oculum satis diu intueri possis, ad cognoscendum pus in camera anteriori, vel inter corneae lamellas, et puris colluviem a pannis et maculis bene discernendam. Uno in exemplo, quo pus pyramidis ad instar pupillam texit, colluvies ejus,

16) Schlegels Thesaur. mater. med. T. II. pag. 422.

17) Annalen des clinischen Instituts auf der Academie zu Erlangen. Herausgegeben von Dr. Fr. Wendt. 1 Heft 1808.

senega per hebdomadem adhibita, in tria puncta inaequalia secessit et post quartam hebdomadem oculus pellucidus apparuit. Tota camera anteriori pure impleta, saepe satis diu Senegam continuari, dosinque gradatim adaugeri oportebat. Quodsi alvum senega movebat, per aliquot dies usus ejus suspendebatur. Ubi inter corneae lamellas collectum pus onyches formavit, remedia externa maturautia simul in auxilium vocabantur et emollientibus vegetabilibus, v. c. decocto malvae, ammoninm muriaticum, aqua ophthalmica saphirina solutum, aut saturnina remedia praeferebantur. De Ammon [18]) quoque plures retulit casus huc pertinentes, quibus hypopyon, cararactae operatione, vulneribus, similibusve causis exortum, ope senegae, cum kali tartar. aut sapone in pilulas redactae, aut prostrationis virium causa cum extracto chinae in pulvere exhibitae, prosperrime sanabatur. Administrari autem oportet, quamprimum exsudationis stadium coeperit, quod enim si nimis est provectum, resorptionis spes, haud dubie ob vasorum lymphaticorum compressionem, exigua affulget, quare in paracentesi tantum auxilium cernitur.

l) **Sanguinis extravasatio in camera anteriori.** Chelius solutionem iridis ab orbiculo ciliari hamulo tenui simplici perfecit. Operatio tota encheiresi una ex voto quidem absolvebatur, at vero sanguinis extravasatio incidit, quae ultra tertiam camerae oculi anterioris partem implevit; quo facto fomenta frigida in usum vocabantur omnique ruboris vestigio exstincto, calomelas interne et externe, laxantia, arnica, sacculi herbis aromaticis referti et vesicatoria adhibebantur. Nihil vero extravasatum decrevit, quippe quod post trimestre idem esset ac antea. Hanc ob rem singulis diebus senegae scrupulum cum saccharo quater per diem propinabatur, cui extravasatum tam promte cessit, ut sextum post diem camera oculi anterior integra appareret.

m) **Cataracta.** Contra incipientem cataractam jam Cartheuser [19]) Senegam commendavit, quod efficaciam ejus in oculorum morbis jam prioribus temporibus notam fuisse, probat.

n) **Amaurosis.** Quum Schmalz in morbis tunicae choroideae, et generatim tunicarum oculi penitiorum inflammatoriis, multo cum fructu exhibuerit Senegam, eandem amaurosi sub quibusdam conditionibus respondere, non improbabile est.

§, XVI.

Effectus saluberrimi, quos Senega in morbis enumeratis, quibus haud dubie alios addere licet, praestare consuevit, hocce medicamentum iterum iterumque commendari multisque in casibus calomelanos, nostris temporibus usitatissimi, in locum substitui jubent; ad resorptionem enim promovendam, Senega tempestive adhibita plerumque calomelanos vices supplere videtur. Num fallar nescio, si novorum remediorum inventione minus locupletari dicam medicinam, quam accuratiori priscorum, jamjam cognitorum, exploratione, quam sententiam eo etiam confirmari video, quod multi medicorum inclitorum, aetate provectiores, paucis remediis longa experientia cognitis (quae quasi Pharmacopoeam manualem iis suppeditant,) multo plus saepe proficiunt, quam juniores, qui curationes miras perficere gestientes, omnia nova, verbis sesquipedalibus celebrata, cupide arripiunt.

§. XVII.

Comprehensis omnibus hactenus propositis, haec ratiocinia ducenda videntur:

1) Senega sanguinis plasticitatem, licet blandius, deprimit, resorptionem atque

---

18) Heidelberger Annalen. II. Bd. 5. Heft.

19) Fundamenta materiae medicae. Edit. nova. Tom. I. Pag. 596.

secretiones, inprimis renum, promovet; iis interponenda est remediis, quae ab antiphlogisticis ad incitantia viam muniunt.

2) Effectus ejus praecipue pendet a principio extractivo vellicante specifico, variis nominibus notato, substantiae corticali radicis insito.

3) Locus ei est in omnibus propemodum morbis inflammatoriis tunicarum serosarum, mucosarum et telae cellulosae, simulatque symptomata inflammatoria, ne dicam ex toto, majori saltem ex parte sunt debellata stadiumque secretionis morbosae adauctae, vel alienatae, incidit.

4) Phaenomena secundaria, usum ejus comitantia, haec potissimum sunt: nausea, alvus obstructa, saepius fusa (sedes aquosae), secretio copiosa urinae, plerumque limpidae, quae postea sedimentum album dejicit. Quodsi phaenomena secundaria violentiora apparent, per dies aliquot remedium suspenditur; si morbus specificam prae se fert indolem, medicamina aptissima senegae facile possunt adjungi.

§. XVIII.

Epilogismi nomine haec addenda mihi videntur, Quum agens Senegae principium in corticali substantia uberrimum exstet, sumtuosum nimis et supervacuum erit, Senegino semper uti; magis hoc respondere videtur ad methodum endermaticam, si hanc experiri velis. Aptissima pulveris est forma, (Dos. gran. 10 — 30.), cui, si inflammatoria diathesis adhuc vigeat, Kali tartaricum, vel nitricum et Magnes. carbon. adjici possunt. Magnesia impedit, quominus sal priori loco positus attracto humore diffluat. Exhiberi etiam Senega potest in pilulis, quibuscum, prout res expostulet, vel extracta plantarum idonea, vel sales etc. conjungi solent. Generatim ad involvendum principium vellicans, mucilaginea aut saccharina, quorum princeps est succus liquiritiae, addi oportet.

Partes constituentes Senegae principes vino optime extrahuntur. Pharmacopoea Borussica et Saxonica radicis Senegae partes duas, alcoholis tres, aquae novem desumi jubent, e quibus tinctura emergit valida, (Dosis gutt. 30.), quae ad obtinendum quoque extractum spirituosum (Dos. gran. 6 — 12.) adhibetur.

Infusum rad. Senegae aptius est infantibus; Decoctum, quod multo plus principii vellicantis continet, multi aegrotorum perhorrescunt. Plures formas, variis morbis consentaneas, Pharmacopoea offert universalis (Vol. II. Pag. I. Vimar. 1829. pag. 365 — 68.), quibus superaddere liceat, Senegae radicem in catarrho chronico, ad sustinendos fonticulos, multo cum fructu administrari.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Punctio corneae in omnibus morbis oculi supervacua est.

II.

Defectus lentis sine operatione cognosci non potest.

III.

Cataractae operatio, tam congenitae quam acquisitae, aetate infantili non est instituenda.